

THE  
PUBLICATIONS  
STANFORD LIBRARY  
SURTEES SOCIETY.

ESTABLISHED IN THE YEAR  
M.DCCC.XXXIV.



VOL. LI.  
FOR THE YEAR M.DCCC.LXVII.

# SYMEONIS DUNELMENSIS

## OPERA

ET

## COLLECTANEA.

VOL. I.

---

**Published for the Society**

**BY ANDREWS AND CO., DURHAM.**

**WHITTAKER AND CO., 13 AVE MARIA LANE;**

**T. AND W. BOONE, 29 NEW BOND STREET;**

**BERNARD QUARITCH, 15 PICCADILLY, LONDON.**

**BLACKWOOD AND SONS, EDINBURGH.**

**1868.**

# SYMEONIS DUNELMENSIS

## HISTORIA REGUM.

---

INCIPIIT PASSIO SANCTORUM ÆTHELBERTI<sup>a</sup> ATQUE ÆTHELREDI,  
REGIÆ STIRPIS PUERORUM.<sup>b</sup>

ANNO ab incarnatione Dominica DC.XVj, qui est xxj ex quo sanctissimus Augustinus cum sociis ad prædicandum missus est, Æthelbert rex Cantuariorum, post regnum temporale quod l. et vj annis gloriosissime tenuerat, æterna cælestis regni subiit gaudia. Erat autem idem rex filius Irmirici, cujus pater Octa, cujus pater Oiric, cujus pater Hengest, qui cum filio suo Oisc a Wirtigerno rege invitatus Britanniam primus intravit, ut Beda<sup>c</sup> luculento describit sermone. Eadbaldus vero, filius Æthelbyrhti, regni gubernacula suscepit, qui genuit duos filios Eormenredum atque Erconbyrhtum. Eadbaldus rex, transiens ex hac vita, Erconberto sceptrum dereliquit imperii. Hic, primus regum Anglorum, in toto regno suo idola relinqui ac destrui præcepit; simul et jejuniū quadraginta dierum observari principali auctoritate jussit; cui natus est filius nomine Ecbertus. Natiq̃ue sunt Eormenredo Æthelbertus atque Æthelredus; quorum vitam et passionis triumphum in exordio nostræ historiæ placet inserere, et gloriam sanctitatis eorum demonstrare.

Erat namque rex Æthelbyrhtus perfectus in imperio glo-

<sup>a</sup> This legend is printed by Twysden and also by Mr. Petrie from the C. C. C. manuscript, as an integral part of Symeon's *Gesta Regum*, but is evidently the production of a much earlier period. Mr. Petrie calls attention to the fact that the remains of the two martyrs are described as still deposited at Waking, although we learn from Gotscelin, who wrote an account of their passion A.D. 1090, that they had been removed to Ramsey a century before that period. See *Mon. Hist.*, preface, p. 89. Portions of Gotscelin's narrative are also obviously derived from the present work. This legend and the genealogy of the Northumbrian kings must be regarded as prefatory to Symeon's work, and on that account these are given in this place, as they are not devoid of novelty and interest. The notices of the abbats of Wearmouth and two poems by Beda have been omitted.

<sup>b</sup> This heading is in red letters.

<sup>c</sup> *Ecol. Hist.*, i., xiv.

Northanhymbrorum regionem profectus est, ibique hiemavit, cum quo iterum Mercii pacem pepigerunt.<sup>c</sup>

## DCCCLXXIV.

Anno Dominicæ incarnationis dccc.lxxiiij, nativitatis autem Elfredi regis Anglorum xxv, supra-memoratus exercitus Lindissem provinciam deseruit, Merciam adiit, et in Hripadun hiemavit. Burhredum quoque, Merciorum regem, de regno depulerunt, et ad Romam exire compulerunt xxij regni sui anno. Qui, postquam Romam adierat, non diu vixit sæculo, quoniam pervenit ad Eum Qui est vera vita, sepultusque honorifice est in ecclesiâ Sanctæ Mariæ genitricisque Domini nostri Jesu Christi, semper virginis, expectans Ejus adventum secundum, quando bonis justa præmia largiter concedit, malis dira dispensat supplicia. Dani quoque, post hujus expulsionem, regnum Merciorum suo dominio subdiderunt. Commendaverunt illud cuidam militi ipsius gentis, nomine Ceolwifo, ea ratione ut, quando vellent, rursum absque dolo, absque malo haberent.

## DCCCLXXV.

Anno Dominicæ incarnationis dccc.lxxv, nativitatis autem Elfredi regis xxvj, prædictus exercitus Repadun deseruit, seseque in duas partes divisit. Una pars cum Haldene ad regionem Northanhymbrorum secessit, et eam vastavit,<sup>f</sup> et hiemavit juxta flumen quod dicitur Tine, et totam gentem suo dominatui subdidit, et Pictos atque Stretduccenses depopulati sunt.

Eardulfus episcopus et abbas Eadredus de Lindisfarnensi insula corpus Sancti Cuthberti tollentes, per ix annos autem faciem barbarorum de loco ad locum fugientes, cum illo thesauro discurrerunt. Altera quoque pars ipsius classis cum Gutthrum et Oscytel et Amund, regibus Paganorum, ad locum qui dicitur Grantabric pervenit, ibique hyemavit. Rex vero Elfred, navali prælio confortatus, sex naves invenit in mari, cum quibus fortiter debellans, unam cepit; cæteri fugerunt timore percussi.<sup>g</sup>

## DCCCLXXVI.

Anno Dominicæ incarnationis dccc.lxxvj, nativitatis autem Elfredi regis xxvij, præfatus exercitus nocte de Grantabric exiens, castellum quod dicitur Werham intravit. Quorum subitum adventum rex Saxonum prænosceus, fœdus cum eis

<sup>c</sup> Asser.

<sup>f</sup> This and the two preceding words are interlineations.

<sup>g</sup> Asser,

## DCCCXCIX.

Anno dccc.xcix Elfredus rex obiit cum regnasset annis xxviii cui filius Edwardus successit, diligenter a patre admonitus ut præcipue Sanctum Cuthbertum honoraret. Eardulfus quoque episcopus in Cunceceastre obiit, quo corpus Sancti Cuthberti transtulerat, cum quo per ix annos ante Paganorum exercitum multo cum labore et penuria de loco ad locum fugerat. Huic Cuthbertus in episcopatum successit.<sup>i</sup>

## DCCCC.

Anno dcccc Ethelbald ordinatus est in episcopatum Eboracensis ecclesiæ.

## DCCCCI.

Anno dcccc.j Osbrith regno pulsus est.

## DCCCCII.

Anno dcccc.ij Brehtsig occisus est.

## DCCCCVI.

Anno dcccc.vj rex Edwardus, necessitate compulsus, pacem firmavit cum Orientalibus Anglis et Northhymbrensibus.<sup>j</sup>

## DCCCCX.

Anno dcccc.x Angli et Dani pugnaverunt apud Teontanbole. Rex Edwardus Londoniam et Oxnaforda et quæ ad eam pertinent suscepit: quo anno multa piratarum manus circa Sabrinam flumen crudeliter vastando grassata est, sed ibi citius tota pene interiit.

## DCCCCXII.

Anno dcccc.xij Reingwald rex et Oter comes et Oswl Cracabam irruerunt et vastaverunt Dunblinæ.

## DCCCCXIV.

Anno dcccc.xiv Niel rex occisus est a fratre Sihtrico.<sup>k</sup>

## DCCCCXIX.

Anno dcccc.xix rex Inguald irrupit Eboracum.<sup>l</sup>

<sup>i</sup> See the ancient *Historia de Sancto Cuthberto*, which will be printed in the present volume; also *Hist. Eccl. Dunelm.*, book ii., chap. xxx., etc.

<sup>j</sup> Saxon Chronicle.

<sup>k</sup> Saxon Chronicle.

<sup>l</sup> Saxon Chronicle, A.D. 921, which, however, is in error in describing Niel and Sihtric as brothers. Compare *Annals of the Four Masters*.

DCCCCXX.

Anno dcccc.xx rex Sihtricus infregit Devennport.

DCCCCXXIII.

Anno dcccc.xxiiij Edwardus rex mortuus est, relinquens imperium filio suo Ethelstano.\*

DCCCCXXV.

Anno dcccc.xxv Wigredus episcopus consecratur ad episcopatum Sancti Cuthberti.

DCCCCXXVII.

Anno dcccc.xxvij Ethelstanus rex de regno Brittonum Gudfridum regem fugavit.\*

DCCCCXXXIII.

Anno dcccc.xxxiiij rex Ethelstanus jussit Eadwinum fratrem suum submergi in mare.<sup>o</sup>

DCCCCXXXIV.

Anno dcccc.xxxiiij rex Ethelstanus cum multo exercitu Scotiam tendens, ad sepulcrum Sancti Cuthberti venit, illius patrocinio se suumque iter commendavit, multa ac diversa dona, quæ regem decerent, ei optulit et terras, æterno igni contradens cruciandos quicumque ei aliquid ex his subtraxerint. Deinde hostes subegit: Scotiam usque Dunfoeder et Wertermorum terrestri exercitu vastavit, navali vero usque Catenes depopulatus est.<sup>p</sup>

DCCCCXXXVII.

Anno dcccc.xxxvij Ethelstanus rex, apud Wendune<sup>q</sup> pugnavit, regemque Onlafum cum dc et xv navibus, Constantinum quoque regem Scottorum, et regem Cumbrorum, eum omnium multitudo in fugam vertit.

DCCCCXXXIX.

Anno dcccc.xxxix Æthelstanus rex obiit, cui frater suus Edmundus in regnum successit; quo anno rex Onlaf primo venit Eboracum, deinde ad austrum tendens, Hamtonam obsedit.

\* S. C., anno 923. This year king Regwold won York.

<sup>q</sup> Saxon Chronicle.

<sup>r</sup> This year Ædwin the etheling was drowned at sea, S. C.

<sup>p</sup> This year king Ethelstan went into Scotland as well with a land army as a fleet, and ravaged a great part of it, S. C. See also *Historia de Sancto Cuthberto*.

<sup>r</sup> "Weondune, quod alio nomine Æthrunnanwere vel Brunnanbyrig appellatur" (Symeon, *Hist. Eccles. Dunelm.*, lib. ii., c. 18).

Egbertus rex Northanhymbrorum moriens, successorem habuit Ricsig, qui regnavit tribus annis; et Wlfere in suum archiepiscopatum receptus est.\*

## DCCCLXXV.

"Anno dccc.lxxv supra-memoratus exercitus, Reopedune deserens, in duas se divisit turmas. Cujus altera pars cum "Halfdene in regione Northanhymbrorum porrexit, et totam "Northymbrorum regionem suo dominio subdidit," ac omnia monasteria destruxit.<sup>b</sup> Eardulfus, episcopus Lindisfarnensis, et abbas Eadredus corpus Sancti Cuthberti de insula Lindisfarnensi tollentes, per septem annos passim vagabantur.

## DCCCLXXVI.

Anno dccc.lxxvj—rex Ricsig Northanhymbrorum moritur et secundus Egbertus regnat super Northumbros ultra amnem Tyne.<sup>c</sup> Rollo, primus Normannorum dux, qui et Rodbertus, cum suis Normanniam penetravit xv kal. Decembris.<sup>d</sup>

## DCCCLXXVII.

"Anno dccc.lxxvij—Elfredus vero rex his diebus magnas "sustinuit tribulationes et inquietam vitam agebat." Tandem, apto confortatus oraculo per Sanctum Cuthbertum, contra Danos pugnavit, et quo ipse Sanctus jusserat tempore et loco victoria potitus est, semperque deinceps hostibus terribilis et invincibilis erat, Sanctumque Cuthbertum præcipue honori habebat. Qualiter hostes vicerit paulo post hic legitur.<sup>e</sup>

"Eodem denique anno "Ingwar et Halfdene reges, "cum

\* Symeon's History of the Archbishops of York. From the History of the Church of Durham it would appear that Ricsig was raised to the throne on the expulsion of Egbert. This computation fixes the commencement of his reign a year later.

<sup>b</sup> These four words are an insertion in the MS. Respecting the destruction of the monasteries, and the wanderings of Eardulf and Eadred with the body of the Saint, see History of the Church of Durham, ii., 10.

<sup>c</sup> There is no mention of this second Egbert either in the History of the Church of Durham or of the Archbishops of York. His name occurs, with those of his two predecessors, in the brief chronicle prefixed to the Cambridge MS. of the History of the Church of Durham, but the length of the several reigns does not correspond in the two authorities. See note below under A.D. 883.

<sup>d</sup> This is the first of a series of entries respecting the dukes of Normandy, which have been taken from some source resembling, but not quite identical with, the Chronicle of Caen. In the margin of the MS. are these words, *De Rollone primo Normannorum duce. Hic genere Dacus, postea baptizatur, Rodbertus vocatus est.*

<sup>e</sup> Respecting St. Cuthbert's appearance to King Alfred, see History of the Church of Durham, ii., 10. The original authority for this legend is the *Historia de Sancto Cuthberto*.

"bis denis ac ternis nayibus de Demetica regione, in qua hie-  
 "maverant, egressi, ut lupi feroces, post multas tibi strages  
 "Christianorum patratas, post combustiones cœnobiorum, ad  
 "Domniam enavigaverunt, et ibi a ministris regis Elfredi  
 "fortissimis cum mille ducentis viris occisi sunt ante arcem  
 "Cymwth."<sup>f</sup>

Rex Elfredus—venit ad petram Ecgberti, quæ est in orientali parte saltus qui Anglico eloquio dicitur Mucel-Wudu,<sup>g</sup> Latine vero Magna Silva, Britannico more Coitmawr.

## DCCCLXXVIII.

"Anno dccc.lxxviiij Paganorum rex Guthrum, cum xxx  
 "electissimis de exercitu suo viris, ad Elfredum regem in loco  
 "qui dicitur Aarl pervenit, quem rex in filium adoptionis sus-  
 "cipiens, de fonte sacri baptismatis elimavit," multisque mu-  
 "neribus ditavit, eique post interfectionem Sancti Eadmundi  
 East-Angliam tradidit.<sup>h</sup>

## DCCCLXXXI.

"Anno dccc.lxxxj Paganorum exercitus, invadens Franciam,  
 "bellum iniiit cum indigenis." His diebus plurima in eadem  
 gente monasteria concussa sunt et desolata. Nam et fratres  
 cœnobii sanctissimi Benedicti, quod Floriacum dicitur, ipsius  
 reliquias a tumulo, quo locata fuerant immensa pulchritudine,  
 secum auferentes hac illacque discurrabant.<sup>i</sup>

## DCCCLXXXIII.

Anno dccc.lxxxiiij præfatus Paganorum exercitus, occupans  
 Cundoth,<sup>j</sup> ibidem per annum grassatur. Exercitus vero qui,  
 ducente rege Halfdene, Northumbriam invaserat, pereunte Dei

<sup>f</sup> Asser, from whom this paragraph is taken, has, "Frater Hinguari et Halfdene," in which he is followed by Florence. Ubba, the brother of Inguar and Halfdene, was the person who lost his life on this occasion. The two others reappear A.D. 883.

<sup>g</sup> Selwood Forest. This reading is peculiar to this work. Asser has Seludu. Mucel-wudu is, however, the true equivalent for Magna Silva (Mickle Wood). The name occurs twice, and is written on one occasion Mucel-Pudu, on the other still more corruptly, Mucel-Purlu. From the same confusion between the Anglo-Saxon *P* and *W*, Coitmawr is on both occasions written Coitmapur.

<sup>h</sup> The last ten words are neither in Asser, Florence, nor the first part of the *Historia Regum*. The death of St. Edmund, which is here referred to as if it occurred subsequent to the baptism of Guthrum, really took place, and has already been recorded in these pages, seven years previously.

<sup>i</sup> This account of the destruction of the French monasteries, and the removal of the relics of St. Benedict, is not derived from Asser or Florence, but is found in the first part of this work, with the exception of the words, "quod Floriacum dicitur," which do not occur there. The notice of the wanderings of the relics of a saint would have a peculiar charm to the monks of Durham.

<sup>j</sup> Candath—*Florence*; Cundath—*Saxon Chronicle*; Cundoth—*Asser*.

judicio ipso tyranno, sine duce remanserat, occiso, sicut supradictum est, ipso Halfdene et Inguar cum xxij navibus apud Domniam a ministris Ælfredi regis.<sup>4</sup> Jam subactis sibi indigenis terræ, dominium usurpavit, ibique manere paravit, et vastatas Northumbriæ provincias incolere. Tunc Sanctus Cuthbertus abbati Eadredo (qui pro eo quod in Luel habitavit Lulisc cognominabatur) assistens, per visionem præcepit, ut episcopo et omni exercitui Anglorum atque Danorum diceret, quatinus Guthredum filium Hardecnut, quem Dani vendiderant in servum cuidam viduæ apud Hwitingaham, dato pretio, redimerent; et redemptum sibi in regem levarent; regnavitque super Eboracum; Egbert vero super Northimbros.<sup>1</sup> Quod factum est tredecimo anno regni Ælfredi regis. Guthredo itaque ex servo omnium consensu in regem promotus, sedes episcopalis, quæ prius erat in Lindisfarnensi insula, instauratur in Cestre, quæ antiquitus vocabatur Cunecestre, post septem annos transmigrationis ex insula Lindisfarnensi. Est autem locus ille inter Dunelmum et Extoldesam, sex millibus passuum distans a Dunelmo. Tunc et legem pacis, quam ipse Sanctus Cuthbertus per prædictum abbatem mandaverat, ut scilicet quicumque ad corpus illius confugerit, pacem a nullo infringendam per xxxvij dies habeat, tam rex Guthredus quam rex Alfredus perpetuo conservandam confirmarunt. Quam si quisquam quoquo modo violaverit, sicut pacem regis fractam, nonaginta sex libris multandum censuerunt. Ad hoc, in augmentum prioris episcopatus, totam inter Tyne et Teisam præfati duo reges omni consensu Sancto Cuthberto terram perpetuo possidendam addiderunt. Quicumque autem hæc statuta quocumque ingenio infringere temptaverit, hunc infernalibus pœnis tradendum perpetuo anathemate dampnarunt. Jam enim multo ante defecerat episcopatus Hagustaldensis ecclesiæ.

<sup>4</sup> This refers to the erroneous account of the deaths of Inguar and Halfdene given above, A.D. 877. See note under that year. Symeon, in his History of the Church of Durham, gives an account of the death of Halfdene, the particulars of which are derived from the Historia de Sancto Cuthberto, and fixes the date immediately previous to the elevation of Guthred to the throne, instead of interposing an interregnum of five years, as in Asser.

<sup>1</sup> If Egbert II. still lived, he must have been in the seventh or eighth year of his reign, whereas the Chronica Anglorum prefixed to the History of the Church of Durham assigns him a reign of only two years.

<sup>2</sup> *Guthredus ex servo factus est rex. His temporibus sedes episcopalis Lindisfarnensis insula usque ad Cunecestriam transmutata est.* In the margin. The same words are interpolated into part i., but without any particulars. The details in this section are taken from the History of the Church of Durham, ii., 13, the original source being the Historia de Sancto Cuthberto.

# SYMEONIS DUNELMENSIS

## HISTORIÆ CONTINUATIO.<sup>f</sup>

---

DCCCCLXVIII.

ANNO DCCCC.lxviij Aldredus episcopus apud Sanctum Cuthbertum in Cuneacestre vita decessit; cui Elfsius in episcopatum successit.

DCCCXCIV.

ANNO DCCCC.xciii Ricardus Primus, dux Normannorum, obiit, cujus filius Ricardus uno anno successit. Post quem frater ejusdem Rodbertus.

DCCCXCV.

ANNO DCCCC.xcv Aldunus episcopus transtulit de Cestre in Dunholm corpus Sancti Cuthberti.

M.

“Anno ab incarnatione Domini millesimo Danorum classis “præfata hoc anno Normanniam petit,” *etc.*, et sequenti anno, ad Angliam reversa, pejora prioribus egit.

MII.

“Anno m.ij Emmam, Saxonice Elfgivam vocatam, ducis Nor-  
“mannorum Primi Ricardi filiam, rex Egelredus duxit uxorem”  
de qua idem rex Eadwardum regem, necnon Alfredum, Godwini  
comitis longo post tempore dolis interemptum, procreavit.

MXIII.

“Anno m.xiiij rex Egelredus reginam Emmam,” cum the-  
sauris, “Normanniam ad suum fratrem, Secundum Ricardum

<sup>f</sup> With the year 957 the *Recapitulatio* ends, and we take up the History where it ended in the first part. The writer, however, merely copies Florence till he reaches the year 968. The rule that was laid down in the note to p. 67 is still adhered to.

"rationabiliter tibi petieris obtinebis." Sensit Haroldus periculum undique, nec intellexit qua evaderet nisi in omnibus voluntati Willelmi acquiesceret. Acquievit itaque. At ille, ut omnia rata forent, prolatis Sanctorum reliquiis, ad hæc Haroldum perduxit, quatinus super illas jurando testaretur, se cuncta quæ convenerant inter eos opere completurum. His ita gestis, Haroldus recepto nepote reversus est patriam. Ubi vero quid acciderit, quid egerit regi percunctanti narravit, "Nonne dixi tibi," ait, "me Willelmum nosse, et in illo itinere tuo plurima mala huic regno contingere posse? Mag-nas in hoc tuo facto calamitates præsentio genti nostræ ven-turas, quas concedat mihi, quæso, pietas superna ne diebus meis veniant." In brevi post hæc obiit rex Eadwardus, et juxta quod ipse ante mortem statuerat, in regnum ei successit Haroldus. Cui Willelmus mandavit, ut, quamvis violata fide cætera non servasset, si tamen filiam suam duceret uxorem leviter ferret, alioquin se promissam regni successionem armis sibi vindicaturum proculdubio sciret. At ipse, nec illud quidem facere se velle, nec hoc formidare, dixit. Unde Willelmus indignatus, magna spe vincendi ex hac Haroldi injustitia est animatus. Parata igitur classe non modica cum nongentis navibus<sup>a</sup> Angliam petit, consertoque gravi prælio, Haroldus in acie concidit, et Willelmus victor regnum optinuit. De quo prælio testantur adhuc Franci qui interfuerunt, quoniam, licet varius casus hinc inde extiterit, tamen tanta strages ac fuga Normannorum fuit, ut victoria qua potiti sunt, vere et absque dubio Dei judicio sit ascribenda, Qui puniendo scelus perjurii ostendit Se non Deum volentem iniquitatem.<sup>b</sup>

## MLXVII.

"Anno m.lxvij Wlsius Dorkecestrensis," qui et Lincolniensis, "episcopus decessit Wintoniæ, sed sepultus est Dork-estre."

## MLXVIII.

Anno m.lxviij duo papæ in Roma facti sunt, id est episcopus Parmensis qui expulsus est, et episcopus de Luca, qui papa permansit.

## MLXIX.

Anno m.lxix cænobium Sancti Germani de Selebi sumpsit exordium.<sup>c</sup> Misit rex Willelmus Northymbris ad aquilonalem plagam Tine comitem Rodbertum, cognomento Cumin, tertio

<sup>a</sup> These three words are inserted at the foot of the page.

<sup>b</sup> Psalm v. 5.

<sup>c</sup> Added in an old hand at the foot of the page.

regni sui anno. At illi omnes in unam coacti sententiam, ne alienigenæ dominio subderentur, statuerunt, aut illum interficere, aut ipsi simul omnes in ore gladii cadere. Cui appropinquanti Dunelmensis episcopus Agelwinus occurrens, insidias sibi præcavere præmonuit; sed ille neminem hoc audere æstimans despexit ammonentem.<sup>p</sup> Dunelmum cum multa militum manu ingressus permisit suos hostiliter ubique agere, occisis etiam nonnullis ecclesiæ rusticis; susceptus est autem ab episcopo cum omni humanitate et honore. At Northymbri, tota nocte festinantes Dunelmum, summa vi diluculo per portas irrumpunt, et socios comitis imparatos ubique locorum interficiunt. Atrociter nimis res geritur, prostratis per domos et plateas militibus, domum episcopi, in qua comes fuerat susceptus, aggrediuntur pugnantes, sed, cum non ferrent jacula defendentium, domum cum inhabitantibus concremaverunt. Tanta fuit interfectorum multitudo, ut omnia pene urbis loca replerentur cruore. Nam de septingentis hominibus nemo præter unum evasit.<sup>q</sup> Hæc cædes facta est v kal. Februarii, feria iiij. "Quo anno, ante nativitatem Sanctæ Mariæ, Suani, regis Danorum filii, Haroldus, Canutus, et patruus eorum "Osbernus comes," et episcopus eorum Christianus, "comesque "Turkillus cc et xl navibus de Danubia venientes, in ostio "Humbre fluminis applicuerunt. Ubi eis clito Eadgarus, "comes Waldevus, et Marlessvein, multique alii, cum classe "quam paraverant, occurrerunt." Affuit et Cospatricus comes cum totis viribus Northymbrorum,<sup>r</sup> unanimiter omnes contra Normannos congregati. De quorum omnium "adventu Eboracensis archiepiscopus Aldredus valde tristis effectus, in mag- "nam decidit infirmitatem,<sup>s</sup> et decimo anno sui archiepiscopatus, "iiij idus Septembris, feria vj, ut Deum rogaverat, vitam finivit; "et in ecclesia Sancti Petri est sepultus. Octavo post hunc "die, scilicet xij kal. Octobris, Sabbato, Normanni qui "castella custodiebant, timentes ne domus quæ prope cas- "tella erant, adjumenta Danis ad implendas fossas castellorum "essent, igne eas succendere cœperunt, Qui nimis excrescens "totam civitatem invasit, monasteriumque Sancti Petri cum "ipsa consumpit. Sed ultione Divina citissime vindicatum est

<sup>p</sup> This word is an insertion.

<sup>q</sup> This atrocity is noticed in the Saxon Chronicle, and also by Ordericus Vitalis, who calls the earl Robert de Comines. The details, however, are derived from the History of the Church of Durham, book iii., c. xv.

<sup>r</sup> The presence of Gospatric with the men of Northumberland is mentioned in the Saxon Chronicle, but not noticed by Florence. The former authority also speaks of Bishop Christian accompanying an expedition the following year under the command of Suane himself, but does not name him on the present occasion.

<sup>s</sup> Obiit Aldredus Eboracensis archiepiscopus. In margine.

“in eis gravissime. Nam priusquam tota civitas esset combusta, Danica classis supervenit feria ij,” et hinc Dani, illinc Northymbrani expugnantes “castella eadem die infregerunt. Et plus tribus millibus ex Normannis trucidatis, “Willelmo Malet,” qui tunc vicecomitatum gerebat, “cum sua conjugē et duobus liberis,” et Gileberto de Gant “aliisque perpaucis vitæ reservatis, naves Dani cum innumeris manubiis,” suasque sedes repetierunt Northymbri. “Quod ubi regi Willelmo innotuit, exercitu mox congregato, in Northymbriam efferato properavit animo, eamque per totam hiemem devastare, hominesque trucidare, et multa alia non cessabat agere. Interea nuntiis ad Danicum comitem Osbernū missis, spopondit se clanculo daturum illi non modicæ summam pecuniæ, et permissurum licenter exercitui suo victum circa ripas maris rapere, ea tamen interposita conditione, ut sine pugna discederet peracta hieme. Ille autem, auri argentique cupidus, non sine magno dedecore sui petitis concessit.”

“Normannis Angliam vastantibus, in Northimbria et in quibusdam aliis provinciis anno præcedenti, sed præsentī et subsequenti fere per totam Angliam, maxime per Northymbriam, et per contiguas illi provincias, adeo fames prævaluit, ut homines humanas, equinas, caninas, et catinas carnes,” et quicquid usus abhorret, cogente inedia comederent: alii vero in servitutem perpetuam sese venderent, dummodo qualitercumque miserabilem vitam sustentarent: alii extra patriam profecturi in exilium, medio itinere deficientes, animas emisērunt. Erat horror ad intuendum per domos, plateas et itinera cadavera humana dissolvi, et tabescentia putredine cum fœtore horrendo scaturire vermibus. Neque enim supererat qui ea humo cooperiret, omnibus vel extinctis gladio et fame, vel propter famem paternum solum relinquentibus. Interea ita terra cultore destituta, lata ubique solitudo patebat per novem annos. Inter Eboracum et Dunelmum nusquam villa inhabitata, bestiarum tantum et latronum latibula magno itinerantibus fuere timori. Cum hæc Eboraci circum circaque rex ageret, Agelwinus Dunelmensis episcopus et optimates populi,<sup>1</sup> timentes ne, propter occisionem et Comit̃is, et Normannorum apud Eboracum, gladius regis innocentes æque ut nocentes pari clade involveret, unanimi consilio tollentes sancti patris Cuthberti incorruptum corpus, fugam ineunt ij idus Decembris, feria vj. Primam mansionem habuerunt in Girvum, secundam in Betlingetun, tertiam in

<sup>1</sup> This account of the retreat of Bishop Egelwine to Holy Island is from the History of the Church of Durham, iii., 15.

Tuggahala, quartam in Healande. Sed circa vesperam, cum plenum undique mare advenientibus prohiberet ingressum, ecce! subito sui recessu liberum præstitit introitum, ita ut nec festinantes aliquanto tardius sequerentur fluctus marini, nec tardantes aliquanto citius præcurrerent. Cum autem terram attigissent, ecce! refluxum mare sicut ante totas arenas operuerat. Interea regis exercitus etiam per loca quæque inter Tesam et Tine diffusus, vacuis ubique domibus solam invenit solitudinem, indigenis fugæ præsidium quærentibus, vel per silvas et abrupta montium latitantibus. Tunc et ecclesia Sancti Pauli in Girvum flammis est consumpta; Dunelmensis ecclesia, omni custodia et ecclesiastico servitio destituta, spelunca erat pauperum et debiliū, et ægrotantium, qui, cum fugere non poterant, illuc declinantes fame ac morbo deficiebant. Instante vere, redeunte ad Suthymbriam rege, Agelwinus episcopus cum omni populo, transactis in Ealande tribus mensibus et aliquot diebus, regreditur cum thesauro sancti corporis, dispositis in redeundo quas habuerant in exeundo mansionibus, atque viij kal. Aprilis, expurgata prius ab omni contaminatione ecclesia, ac pontificalibus officiis, et benedictione reconciliata, cum hymnis et laudibus intrantes sacrum suo in loco corpus reponunt.

## MLXX.

Ægelwinus episcopus, rediens de fuga, perpetuam animo meditabatur fugam. Videns namque res Anglorum undique turbari, exteræ gentis, cujus nec linguam, nec mores noverat, grave sibi metuens dominium, decrevit episcopatu dimisso quæqua posset advena sibi providere. Itaque navis ei præparata rebus necessariis impositis prosperum expectabat ventum in portu Weremuthensi. Fuerant ibidem eo tempore et aliæ naves nonnullæ, quarum ductores erant clito Eadgarus cum matre

\* The narrative of events which follow is unsupported by any independent authority, but is cited, "e vetusta chronica," by Fordun, vol. i., p. 264. The retreat of Edgar with his mother and sisters into Scotland took place at least two years earlier. The Saxon Chronicle places it in the summer of 1067, and adds, "Then it was that king Malcolm desired to have Margaret to wife," and after some hesitation on the part of the princess and her relatives, "the marriage was now fulfilled."

The mutual injuries again inflicted on each other by Malcolm and Earl Gospatric seem inconsistent with the hospitality and protection which the latter had received at the Scottish Court, still more with the renewal of that protection the following year, and the extraordinary favours afterwards bestowed by the Scottish king on the exiled earl. Neither is there the slightest reason to suppose that the church of St. Peter at Wearmouth had ever been restored since the destruction of the monastery by the Danes in the ninth century. At all events the accounts given of it in the History of the Church of Durham, iii., 22, A.D. 1075, when the site was overgrown not only with brambles and thorns, but with forest trees, is altogether inconsistent with the assumption that it was in a state of repair only five years previous.

et rebus et libertate privaverat, ibidem ipse Dei iudicio vitam simul cum rebus amitteret.

## Mxcvii.

Anno m.xcvij Cisterciense cœnobium sumpsit exordium<sup>f</sup>

## Mci.

Anno m.cj Henricus rex tenuit curiam suam Londoniæ in nativitate Domini, ubi interfuit Ludowicus electus rex Francorum,<sup>g</sup> (et ad mensam sedebat ad dexteram regis, inter regem scilicet Henricum et Anselmum archiepiscopum.)

“Comes Normannorum Rodbertus, equitum, sagittariorum, “et peditum non parvam congregans multitudinem” (applicuit in loco qui Portesmuthe dicitur; ibique in rivaria de Walmesford figi tentoria præcepit. Rex autem ejus adventum apud Hastings expectans, cum comitem venisse audisset, cum exercitu suo maximo per Surriam venit ad Auwltum ubi et ipse sua tentoria figi fecit. Ibique mediantibus utrorum baronibus, locuti sunt adinvicem rex et comes, concordiaque inter eos prolocuta, venerunt Guintoniam secunda die Augusti, et ibi sacramento et affidavitione inter eos facta, redditæ sunt unicuique baronum utrôrum terræ.<sup>h</sup>)

## Mcii.

“Anno m.cij.—Anselmus archiepiscopus tenuit magnum concilium de his quæ ad Christianitatem pertinent.—In hoc concilio plures abbates Francigenæ et Angli sunt depositi, et “honoribus privati, quos injuste acquisierunt, aut in eis in-  
“honeste vixerunt.”—Presbyteris quoque concubinæ interdictæ sunt. Unde plures eorum ostia ecclesiarum obseraverunt, omittentes omnia officia ecclesiastica..

## Mciij.

Anno m.cijj (natus est Guilelmus, filius R. comitis, die Sanctorum Crispini et Crispiani, in turre Rothomanensium.<sup>i</sup>)

## Mciiv.

“Anno m.ciiij—Corpus Sancti Cuthberti episcopi, ob quo-

<sup>f</sup> This sentence is inserted in a coarse hand.

<sup>g</sup> The words from hence to the end of the sentence are from the Abbreviatio, MS. Cott. Caligula, A. viii.

<sup>h</sup> The words within inverted commas are from Florence, the remainder of the paragraph is from the Abbreviatio, MS. Cott. Caligula, A. viii. It has been thought needless to repeat the words of Florence, which they abridge or supplement.

<sup>i</sup> This sentence is from the Abbreviatio, MS. Cott. Caligula, viii. A.

"*randam incredulitatem abbatum, pontificante Rannulfo episcopo, ostensum est, et a Radulfo Sagiensi abbate, postmodum Hrofensi episcopo,*" et deinde Cantuariensi archiepiscopo, "*et a fratribus Dunelmensis ecclesiæ certo indicio incorruptum inventum est,*" et ita flexilibus artubus, ut magis dormienti quam mortuo similis videretur, "*præsente Alexandro comite, postea Scottorum rege*"<sup>1</sup> et multis aliis, post annos depositionis suæ cccc et xvij, et v menses, et xij dies, qui est annus quintus Henrici regis, et episcopatus Ranulfi sextus. Ab origine mundi fuerunt transacti v<sup>m</sup>cccvij.

## MCVI.

"Anno m.cvj.—Facta est nimis execrabilis contentio inter "*Henricum imperatorem Romanorum et filium ejus Henricum.*" Et eodem anno mortuus est idem imperator, cum l annis regnasset; cui successit filius ejus Henricus.<sup>2</sup>

## MCVII.

"Anno m.cvii.—Willelmus Wintoniensi, Herefordensi Reinelmus, Searesberiensi Rogerus, Willelmus Excecestrensi, et Urbanus Glamorgacensi ecclesiæ, quæ in Walonia est, electi episcopi, simul Cantuariam venerunt; et in die Dominica, quæ fuit iij idus Augusti, pariter ab Anselmo consecrati sunt, ministrantibus sibi in hoc officio suffraganeis ipsius sedis." Gerardus etiam, Eboracensis archiepiscopus, eorum consecrationi, rogatu Anselmi, interfuit.—(Turgotus, Dunelmensis ecclesiæ Prior, ad episcopatum Scottorum eligitur.)<sup>3</sup>

## MCX.

"Anno m.cx. Rex Anglorum, Henricus, filiam suam Henrico imperatori in conjugem dedit," et misit eam a Doveve usque ad Witsand in initio Quadragesimæ quod fuit iij idus Aprilis.

## MCXII.

Anno m.cxij.—Thomas archiepiscopus Hagustaldensem ecclesiam pene in solitudinem redactam, et in portionem cujusdam præbendæ ecclesiæ Eboracensi datam doluit. Hanc ut honestaret frequentia religiosorum, kalend. Novembris posuit in ea

<sup>1</sup> On a comparison of the text of Florence with this passage, it would appear that the former must have been written between the years 1108 and 1114, during which period Ralph held the bishopric of Rochester. He was advanced to the archbishopric of Canterbury on the 26th of April in the latter year. Alexander became king of Scotland on the death of his brother Edgar, January 8th, 1107.

<sup>2</sup> In the margin, Obiit imperator Henricus. Successit filius ejus Henricus.

<sup>3</sup> This sentence is from the Abbreviatio, MS. Cott. Caligula, A. viii.

noctis initio apud Barbaflot.\* Mane facto, thesaurus regis qui in navi fuerat invenitur per arenas, corpora vero pereuntium nulla. Perierunt cum filio regis frater suus Ricardus nothus comes, cum filia regis quæ fuerat uxor Rotronis, et Ricardus comes Cestrensis cum uxore sua nepte regis, sorore Theobaldi comitis, nepotis regis. Periiit et Othoel magister filii regis, et Goffridus Ridel, et Rodbertus Malduit, et Willelmus Bigot, multique alii principales viri. Nobiles quoque feminæ quamplures cum regiis pueris non paucis, militaris numeri cxi et nautarum l cum tribus gubernatoribus navis. Solus quidam macellarius tabula naufragii pendens evasit. Rex vero prospero cursu Angliam attingens, alium portum intrasse putabat filium, sed die tertio de illius interitu tristi perturbatur nuncio. Et quidem primo subito casu veluti pusillanimis deficiebat; sed mox, dissimulato dolore, regios animos ex contemptu resumpsit fortunæ. Illum quippe solum ex legitimo conjugio susceptum regni post se hæredem constituerat.

## MCXXI.

Anno m.cxxj, concilio totius Angliæ ante Purificationem Sanctæ Mariæ apud Winderesoram adunato, Henricus rex filiam Godefridi ducis Luvaniæ, Adelinam, matrimonio sibi junxit.† Ricardus capellanus regis ad Herefordensis, et Rodbertus Peccator, alius capellanus, ad Coventrensis ecclesiæ præsulatum eligitur. Herbertus elemosynarius Westmonasterii Sancti Petri [in abbatem] ejusdem loci eligitur. Edmerus, Cantuariensis ecclesiæ monachus, præcedenti anno electus ad episcopatum ecclesiæ Sancti Andreæ gentis Scottorum, deposita intentione regendi episcopatum, revertitur ad locum suum.‡ Guillelmus de Campellis, Catalawensis episcopus, viij diebus ante exitum suscepto habitu monachico vita decedit xv kal. Februarii. Eodem anno Henricus rex facto longa terræ intercisione fossato a Torkeseie usque Lincolniam per derivationem Trentæ fluminis fecit iter navium. Rannulfus Dunelmensis episcopus murum incepit a boreali parte cancelli ecclesiæ, et perduxit ad arcem usque castelli. Tunc et castellum apud Northam incepit, super ripam Twedæ, in loco qui Ethamesforda dicitur.⁴

\* Filii regis H. in mari perierunt. *In margine.*

† Eadmer, p. 136.

‡ See Eadmer, pp. 130-5, for a full account of the circumstances of his election to the see of St. Andrew's, and his subsequent resignation.

⁴ A fuller account of this bishop's works is given in the Continuation to Symeon's History of the Church of Durham, chap. i., p. 258; ed. Bedford.

Monachi Dunelmenses facta de ecclesia quæ est in Tyne-mutha proclamatione in capitulo Sancti Petri Eboraci, præsentibus episcopis Turstino prædicto, Ranulfo Dunelmensi et Homo Sancti Ebroini, aliisque multis, hanc sui juris fuisse conquesti sunt ex concessione Waltheofi comitis, quando consobrinum suum, scilicet materteræ suæ filium, Morkarum puerum parvulum, eis ad nutriendum Deo in Gyrwensi monasterio contradidit.<sup>1</sup> Quem sic eis in ipsa ecclesia de Tynemutha commendatum, inde ad Gyrvum navigio ipsi monachi perducentes, diligenter nutrire, et in Dei servitium educare studuerunt. Ab hoc, inquiunt, tempore nostri fratres monachi Gyrwenses curam illius loci susceptam gesserunt, Ædmundo ac postmodum Eadredo monachis illorum, ipsi ecclesiæ deservientibus, cum presbytero Elwaldo, qui et canonicus Dunelmensis ecclesiæ fuerat, unde et ad Dunelmum, quotiens suæ vicis ebdomada imminebat, ad celebrandas per ebdomadam missas transire consueverat. Wlmarum quoque, nostræ congregationis monachum, aliosque per vices fratres qui ibidem officia Divina peragerent, illuc de Girwa transmissos meminimus. Ossa Sancti Oswini etiam ut placuit, pro tempore ad se in Gyrvum fratres nostri transtulerunt, indeque in priorem locum, cum voluerunt, reportarunt. Postremo cum Albrius honorem Comitatus suscepisset, ipse quoque nobis in Dunelmum translatis, eundem locum donavit. Unde mox ex capituli totius sententia monachus noster Turchillus illuc mittitur, qui, renovato ecclesiæ ipsius culmine, per multum tempus habitavit ibidem, donec postea a Rodberto de Mulbreio comite, propter odium quod contra episcopum Willelmum habuerat, per ministros ipsius comitis Gumerum et Rodbertum Taca violenter expelleretur. Non multo post abbas monasterii Sancti Albani, Paulus, prædictam ecclesiam a Comite impetravit; quam visurus cum venisset Eboracum, Turgotus, qui tunc Dunelmensis ecclesiæ Prioratum gerebat, missis illuc monachis et clericis, in præsentia archiepiscopi Thomæ Senioris, multarumque magnæ reverentiæ personarum, canonica illum auctoritate prohibuit, ne locum juris ecclesiæ Dunelmensis sibi usurparet, et sic sacrorum canonum et fraternæ caritatis violator existeret. At ille indigna respondens, illud prohibitum nihili pendit. Sed cum illo pervenisset, correptus infirmitate, dum rediret, non longe ab Eboraco in Seterintun vitam terminavit. Taliter ecclesiam de Tynemutha amisimus.

Hæc querimonia facta Eboraci, media ferme Quadragesima, replicatur paulo post in ebdomada Paschali, feria iv, idus Aprilis,

<sup>1</sup> See above under the year 1080; also Symeon's History of the Church of Durham, iv., 4; also Charters and other Documents appended to the Three Durham Historians, No. ix., No. x., and No. xxxvii., pp. xviii, xix, liii.

Dunelmi coram magno conventu principalium virorum, qui tunc forte propter negotia quædam illuc confluerunt, scilicet Rodbertus de Brys, Alanus de Perceio, Walterus Espec, Forno filius Sig'.<sup>j</sup> Rodbertus de Witula, Odardus vicecomes Northymbrensiū, cum maioribus ejusdem comitatus, aliique quamplures. Coram horum frequentia cum suas monachi depromerent querelas, ecce, Harnoldus de Perceio, vir genere et divitiis notus, et in veritate asserenda constans, exurgens, in testimonium veritatis affirmabat coram omnibus, et audisse se et vidisse comitis pœnitentiam super hanc injuriam quam Sancto Cuthberto violenter irrogaverat. Cum, inquit, captus Comes in loco quem Sancto Cuthberto abstulerat, propter inflicta sibi vulnera in feretro delatus esset Dunelmum, rogavit ut sibi liceret ad orandum ecclesiam intrare. Quod cum sibi a baronibus non permetteretur, in lacrimas resolutus, et ad ecclesiam respiciens cum gemitu, ait. "O Sancte Cuthberte, juste has calamitates patior, quia in te et in tuos peccavi. Hæc est tua super meam vitæ nequitiam vindicta. Precor te, Sancte Dei, miserere mei." His auditis, omnes injuste actum esse contra Dunelmensem ecclesiam dicebant: et licet res in præsentī corrigi nequiverit, tamen prudenter hanc calumniam pro futuro tempore coram tot virorum frequentia factam asserebant.

Epistola<sup>k</sup> Calixti papæ super Turstinum directa ad regem Henricum et Radulfum Cantuariensem archiepiscopum, ipsi episcopale atque sacerdotale interdicat officium, et tam in matrice Cantuariensi quam Eboracensi ecclesiis cum suis parochiis, Divina omnia officia celebrari, cum sepultura mortuorum prohibet, præter baptismum infantum et pœnitentias morientium, nisi infra unum mensem post acceptionem ipsius epistolæ Turstinus sine exactione professionis in suam restituatur ecclesiam. Quare a rege revocatus in Angliam, mox in suum reducit archiepiscopatum.

Hoc anno, peracto Paschali festo, Calixtus papa cum multa manu ab Urbe digressus tamdiu Sutrinam civitatem obsedit, donec et Burdinum et locum ipsum cepisset: sic epistola subdita planius edocet.

*Calixtus episcopus, servus servorum Dei, dilectis fratribus et filiis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, et cæteris tam clericis quam laicis beati Petri fidelibus per Gallias constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem. Quia derelinquit populus Domini legem Ejus et in judiciis Ejus non ambulat, visitat Dominus in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata*

<sup>j</sup> This should be Lig', and not Sig'. Forno, the son of Ligulf, Liolf, or Lyulf, was the grantee of the barony of Greystok in Cumberland.

<sup>k</sup> This letter is in the Life of Thurstan by Hugh the Chantor.

eorum.<sup>1</sup> *Paternæ tamen conservans viscera pietatis, de Sua confidentes misericordia non relinquit. Diu siquidem peccatis exigentibus per illud Teutonicorum regis idolum, Burdinum videlicet, fideles ecclesiæ conturbati sunt, et alii quidem capti, alii usque ad mortem carceris maceratione afflicti sunt. Nuper autem festis Paschalibus celebratis, cum peregrinorum et pauperum clamores nos ferre penitus non possemus, cum ecclesiæ fidelibus ab Urbe digressi sumus, et tamdiu Sutrinam civitatem obsedimus, donec Divina potentia et supradictum ecclesiæ inimicum Burdinum, qui diabolo nidum ibidem fecerat, et locum ipsum in nostram omnino tradidit potestatem. Rogamus itaque caritatem vestram, ut pro tantis beneficiis una nobiscum Regi Regum gratias referatis, et in catholicæ matris ecclesiæ obedientia et servitio constantissime maneatis, retributionem debitam in præsentī et in futuro ab Omnipotente Domino per Ejus gratiam recepturi. Rogamus etiam ut has litteras nostras alter alteri præsentari, omni remota negligentia, faciatis. Data Sutrii, vj kal. Maii.\**

Uxor quondam Willelmi, summersi filii regis Henrici, filia Fulconis comitis Andegavensis, rogante patre, remittitur patriam a rege. Filii regis Walanorum, audita summersione Ricardi comitis Cestrensis, incensis duobus castellis, multisque interfectis, quædam in illo comitatu loca graviter depopulati sunt. Unde rex indignatus de tota Anglia producto exercitu infinito ad devastandam Waloniam intendit, sed cum ad Snaedun pervenisset, rex Walanorum muneribus et obsidibus petitis regi Anglorum pacato reconciliatur, moxque exercitus domum remittitur.\*

## MCXXII.

Anno mc.xxij, in vigilia Natalis Domini, ventus validus et insolitus non solum domos, sed etiam turres dejecit lapideas.<sup>o</sup> Turstinus archiepiscopus exigens a Johanne Glasguensi episcopo professionem et subjectionem, cum hoc ille facere nollet, eum suspendit ab officio episcopali. Mox ille Romam proficiscitur, ubi cum sese in causa sua non videret procedere, Jerosolymam profectus, per aliquot ibidem menses benigno patriarchæ hospitio demoratur, ejusque sæpius vices in pontificali ministerio exequitur.<sup>p</sup>

<sup>1</sup> Psalm lxxxix. 32.

<sup>o</sup> This letter is in Baronius, and is derived from English sources.

<sup>\*</sup> The words from *regi* to the end of the sentence are inserted in a coarse hand.

<sup>o</sup> This sentence, with the exception of the date, is added at the foot of the page in a coarse hand.

<sup>p</sup> See Fasti Ebor., i., pp. 197-8, for an account of the bishop of Glasgow and this claim.